

No. 16. 1326. Zwischen 23. und 30. März.

Thimo genannt von Colditz Verweser der Stadt und des Schlosses Pirna überträgt Namens des Königs Johann von Böhmen der Stadtgemeinde das durch Kauf erworbene Ueberfahrtsrecht.

Nos Thymo dictus de Coldicz tutor civitatis et castris Pirnensis recognoscimus tenore praesentium publice profitentes, quod discreti viri iurati cives in Pirnis in nostra fuerunt praesentia constituti informantes nos de diversis defectibus dictae civitatis et praecipue de vectura trans Albeam ibidem, per quam multi pauperes indebite gravarentur, quare praedicti cives vecturam comparaverunt supradictam erga Hertwicum de Wilandesdorf et N. Helwici cives dictae civitatis iusto emptionis titulo nostro consilio et auxilio mediante. Nos igitur attendentes honorem serenissimi principis domini nostri Johannis regis Bohemiae dictorumque civium et civitatis supradicti ac commune bonum terrae circumiacentis saepedictis civibus et civitati vecturam praedictam cum omni iure, quo dicti Hertvicus et Nycolaus in antea possederunt, contulimus rite et rationabiliter ex parte illustris principis domini nostri regis saepius praenotati. In cuius rei evidentiam praesentem litteram nostro sigillo fecimus communiri. Datum anno domini M. C. C. XXVI. infra octavas pascae.

Nach dem Orig. im Rathsarchiv zu Pirna. Von dem an einem Pergamentstreifen befestigt gewesenen Siegel Thimos von Colditz sind nur noch Bruchstücke vorhanden.

Horn Handbibl. S. 201.

No. 17. 1331. 4. Sept.

König Johann von Böhmen überträgt dem Kloster Ossegg das Patronatrecht der Pfarrkirche zu Pirna.

Johannes dei gratia Boemiae et Poloniae rex Lucemburgensis comes omnibus imperpetuum. Ob datoris gratiarum reverentiam, a quo cuncta gratis accepimus quae habemus, gratiosae liberalitatis officium libenter in suis exercemus famulis, ut dum per opera quae sibi sunt placita benefactorem recognoscimus diversis receptis ab eo gratiis digniores reddamur. Ad universorum igitur tenore praesentium deducimus notitiam, quod affectantes religiosos viros abbatem et conventum monasterii in Ossek devotos nostros, qui pompis et amoenitatibus huius mundi semotis soli suo tantummodo cottidie obsecuntur creatori, in suis benignius relevare defectibus et gravaminibus ipsi monasterio abbati et conventui, ut pro nostra salute et statu ac successoribus nostris prosperis in vita et in morte deum continuis exorent deprecationibus, ius patronatus ecclesiae parochialis in Pirnis damus et tradimus ac ipsi monasterio imperpetuum incorporamus, omne ius quod nobis heredibus et successoribus nostris in iure patronatus eiusdem ecclesiae competit in dictos abbatem, conventum ac monasterium plener transfundentes et volentes, quod ipse abbas et conventus de dicta ecclesia parochiali, plebano qui nunc est decedente vel etiam cedente voluntarie de eadem, disponant ordinent et faciant iugiter, quidquid eis pro utilitate comodo et profectu monasterii